IN NOMINE DOMINI AMEN

Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam facta humana quantumcunqz memorabilia facile intereunt, nisi literarum beneficio quae res scitu necessarias aboleri non patiuntur, fuerint immortalitati consecrata. Proinde Nos Sigismundus Augustus, Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lituaniae, Necnon terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cuiaviae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Elbingen., Pomeraniaeqz dominus et haeres. Regium esse existimantes omnibus Reipublicae partibus providere, neqz tam remotum quicquam in Regno et ditione habere, quo non curae provisionisque nostrae fructus aliquis proveniat. Significamus praesentibus literis nostris, universis ad quos pertinet, tam his qui nunc sunt quam futuris, ad quorum noticiam praesentes literae nostrae pervenerint. Saepe ad nos allatum esse a multis nec incertis authoribus, universam illam metalli vim quae per Dei benignitatem in agro et fundo Ilkussien., neqz vulgaris est, neque modica, a caeteris incommodis plane liberam, ab aquarum tantum inundatione obrui. Ex qua fit, ut non nisi magno sumptu aliquid inde erui, ac in usum et utilitatem communem depromi possit, aliquando etiam ne maximo quidem sumptu aut labore: Incumbente scilicet aquarum vi, et fossorum operas interturbante. Quamobrem excogitatas fuisse superiori tempore intelleximus machinas diversorum generum quibus ad exhauriendas montanas illas aquas passim utebantur, quarum tamen machinarum et impensa ingens fuit, propter sumptus quae in quingentos et sexcentos equos quos alebant, qui ad hauriendam aquam adhibebantur, impendere necesse erat, et fructus exiguus [illegible] quod ex cultis iam ac excavatis ex aliqua parte fodinis, confestim aqua maiore impetu in excavata illa loca influeret, atque opus inchoatum interciperet. Usqz dum nos ipsi pertaesi eius sumptus et operae, quae in machinis tractores utendis collocata erat, Cuniculum et fossam subterraneam primi omnium in his regionibus fodi ac fieri iussimus, qui ab annis quindecim institutus, Etsi propter maiorem aliquanto a villa Starcinow, ubi ostium ipsius positum est, ad Civitatem Ilkussien. distantiam, nondum ad eum finem et terminum actus sit, quem constituimus. Tamen fodinas plerasqz, ut quaeque occurrebant metallum simplex plumbeum continentes, exsiccavit, et spem denique fecit, cum ad suum terminum pervenerit, fore ut maiores multo divitias in apertum proferat. Quod nostrum studium reliqui metallici anno superiori ibidem imitati alium Cuniculum a molendino Arcis Rabstinen., et alio item molendino et Casa Ilkussien. versus Civitatem ipsam Ilkussien. fodere inceperunt, cuius profunditas secundum Metallicorum ipsorum dimensionem decem et octo passus seu Lachtres excedere dicitur. Tertium vero Cuniculum Czaiowska Stolla nuncupatum anno praesenti, nonnulli eorundem montium Cultores a fluvio Vasersia fodere statuerunt versus fodinas Kuklina gora, Niewierna, Trzmanowka, Dolki et Pasternaczek, nullo termino fini debeat praefixo vel assignato. Supplicaveruntqz nobis, ut quoniam Cuniculorum usus antea in his Regionibus et ditione nostra nullus erat, ius eorum ex scriptis veteribus repetitum, nostris quoqz hominibus proponeremus et declararemus Studiumqz et diligentiam hanc eorum gratia nra prosequeremur. Nos igitur cupien. utilitatem Reipublicae et nostram promovere, ante omnia ipsis et eorum Successoribus Iura et privilegia omnia antiquitus observata confirmavimus, et praesentibus confirmamus, ac praeterea pro huius Cuniculi seu Stollae novae structura et erectione Ius Cuniculorum, et praesertim huius Cuniculi Stolla Czaiowska nuncupat. ad modum et normam Iuris Cuniculi Cultoribus Stollae Pomkowska anno praeterito Varsaviae dati, in omnibus punctis, articulis et clausulis damus et concedimus. Et quoniam idem labor Stollae, sine magno sumptu perfici non potest, Nos etiam erga Cultores suprascriptos Stollae Czaiowska uberiorem gratiam nram declarare ob illorum studia rei metallicae promovenda, et tantos sumptus ipsis a mineris, quas Dei beneficio hoc labore Stollae consequuti fuerint, integram Orboram nostram ad anni unius spatium et hoc expirato, deinde mediam Orboram ad annorum quinque spatium ab eo tempore quo mineram reperierint computandorum remittimus. In cuius rei fidem et testimonium, manu nostra subscripsimus, sigillumqz nostrum subappendi iussimus. Datum Petricoviae die Vigesima octava mensis Maii. Anno Domini Millesimo quingentesimo, Sexagesimo quinto. Regni vero nostri anno trigesimo Sexto.

Sigismundus Augustus
Rex [illegible]

A° 1565 / 28 May Privilegium Cultoribus Cumeth
Csarnowska Protectoria datum, una cum libertate
Ordore ad annū unū totius, ad annos quinqs
[illegible] —— [illegible] —— [illegible]

1565

No 4042